



1662.

1. a, b, c Born, Jacobus: De jure in re actiones
reales prolocutione. 3 Exempl. 1662: 1704
2. Eckold, Amosius: De tutela materna
3. Eichler, Johannes Christianus: De re tractu vicinitatis
3. ^{*} Eichlerus, Johannes Christianus: Novus honores Joha-
nis Christiani Eichleri . . . gratulatio amici con-
terranei
4. Eichler, J. Christianus: De foeminarum imperio.
5. Fellerus, Franchinus: De tribus coronis Imperatoris
Germanica, Lombardica atque Romana.
6. Franckenstein, Christianus Fridicus: De consilio
7. a, b Knellerstein, Georgius Gustavus: Jus sepulchri.
2 Exempl. 1662: 1702.
8. Noricus, Johannes Suerker: Brevis commentatio ad l. si
finis 15 § Julianus 16 ff de damnis infecto.

1667

9. Romanus, Franciscus: Analysis l. quinque peram 5
C. fin. reg.
10. Romanus, Paulus Franciscus: De alic.
11. Romanus, Paulus Franciscus: De salvo conductu
12. Schacher, Christophorus Hartmannus: Defensor iudi-
cialis
13. Schacherus, Anthonius: De probationibus praesentibus
judicialibus.
14. Schacher, Anthonius: Repetitio princ. l. consilii
non fraudulentis nulla obligatio etc. 47 N. de regal.
jus.
15. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De incesto
16. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De traditione
17. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: Praeci-
pationes a car. et IV libros Institutionum Imperialis un-

1662.

18 Schreindorfferus, Bartholomaeus Leonhardt

De citatione

19. Schreindorfferus, Bartholomaeus Leonhardt:

De variatione

20 Thilo, Isaacus: De temperamento

21. Thomasius, Jacobus: De scabiis antiquis, aliis morbis
et recentionibus.

22 Waltherus, Philippus Alexius: De emptione vendi-
tione

1663

1. Eckelt, Amatus: De culpa.

2 Eckelt, Amatus: De concursu actionum

3. Norius, Johannes Ernestus: De defensione necessaria

4. Norius, Johannes Ernestus: De reformatione

5. Romanus, Petrus Franciscus: De iudice

6. Ryssel, Johann Jacobus, a: De arbitro compromissorio

7. Schreindorfferus, Barth. Leonhardt: De emphyteusi

1663.

8. Schneidendorferus, Bartholomaeus Lombardus
De pignore.

9. Schneidendorferus, Bartholomaeus Lombardus
De vera jure in re divisione. 7 Bupl.

10. ^{a. st.} Schneidendorferus, Georgius Tobias: Perisigilium
medicorum anatomicum jure divinis humanis licentiam
demonstrans. 2 Bupl.

12. Schneidendorferus, Georgius Tobias: Themata juris
controversi, ex jure et civili et canonico de prompta

3

f. 22. num. 13. ~~A. 13.~~

1662, 11

2

JACOBI BORNII 33.6.
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

JURE IN RE
ACTIONES REALES
PRODUCENTE

1961

D. III. JUL.

IN ACADEMIA LIPSIENSI
HABITA

ANNO 1662.







CAPUT PRIMUM.

Juris Rerum distinctio in Jus in re & ad rem. Illiusque subdistinctio. Probatur. Specierum definitio toleratur. Quintuplex Jus in Re actionis realis productivum negatur. Excusatio Autoris. Dicendorum dispositio.

I.

Definitiva est & Ictorum & Moralistarum doctrina, Jus illud quod circa res acquiritur, seu Jus Rerum, esse vel JUS IN RE vel JUS AD REM. Jus in Re vocant jus circa rem constitutum, ad quod res ipsa est devincta; Jus vero ad rem jus circa rem, ad quod res ipsa nondum est devincta. Jus in Re subdividunt in illud, quod actionis realis productivum, & illud, quod infirmius est, ideoque nullam actionem quidem, sed alios tamen effectus circa rem præstat, puta retentionem &c. Non secus atque obligationes quædam actiones pariunt, quædam vero exceptiones tantum, & alios effectus remissiores *l. 10. ff. d. O. & A. l. 25. §. 11. ff. d. hered. pet.* Juris in re actiones reales producentis species alii plures, alii pauciores comminiscuntur: Hodie in Academiis Germaniæ plerisque omnibus communi voto, & quasi ita lex publica jussisset, probata est Domini Heinrici Hahnii Icti & Antecessoris Helmetstadiensis sententia, quam prodidit in Exercitatione sua de Jure Rerum, quæ post varie statuentes Interpretes docet, jus ejusmodi actionem realem producens esse quintuplex DOMINIUM, PIGNUS POSSESSIONEM, SERVITUTEM, HEREDITATEM.

II. Rem ipsam probo, putoque distinctionem hanc juris realis in Re & ad rem fundamentum habere in legibus pariter atq; Canonibus: Quando enim Ulp. *in l. 2. in pr. ff. d. pollic. ait:* Si quis rem aliquam voverit, voto obligatur, quæ res personam voventis, non rem, quæ vovetur, obligat, res enim quæ vovetur, soluta quidem liberat vota, ipsa vero sacra non efficitur: Quid aliud voluit dicere, quam hoc, acquiri quidem per votum jus

DE JURE IN RE ACTIONES REALES PRODUCENTE.

ad rem, i. e. obligationem aliquam, quæ voventem adstringat ad rem devotam præstandam, non autem jus in Re, i. e. non posse illicò rem illam vindicari & Divinis usibus mancipari, cum scilicet sola destinatione privata res sacra effici nequeat *S. sacra. 8, l. d. R. D.* Item cum Paulus in *l. 3. ff. d. O. & A.* definit obligationum substantiam non in eo consistere, ut aliquod corpus nostrum, aut servitatem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, dubio procul hoc ipsum jus in Re & ad Rem animo conceptum habuit, quantumvis terminis usus non fuerit. Facit huc ulterius ex Jure civili *pr. l. d. obl. l. 30. d. nox. act. l. 19. in pr. d. damn. infect. l. 71. S. pen. & ult. ff. de Leg. 1. l. 11. l. 13. S. 1. de damn. infect. l. 3. S. 4. ff. d. reb. eor. qui sub tut. l. 2. S. 22. ff. d. vi bon. rapt. S. f. J. eod. l. 6. C. d. bon. auth. Jud. poss. l. 14. S. 2. ff. d. except. rei jud. l. 2. C. si unus ex plur. hered.* Ex Jure Canonico, quod ipsis nominibus & terminis occasionem dedit, *Cap. 17. & 40. d. præb. in bto. Cap. Quoniam fin. d. concess. præb. in bto. Clement. un. de sequent. poss. & fruct. cap. Sedes Apostolica. de concess. præb. in extravag.*

III. Probo etiam subdistinctionem Juris in Re, quo hujusmodi jus aliud plenius dicitur, & actionis realis productivum, aliud infirmius. Nam & dominium, & jus retentionis, sunt jura in re, sed alterum tamen præ altero longe potentius. Dominus possessione amissa rem ipsam vindicat *t. t. de R. V.* Detentor exceptionem saltem habet, & isto suo remedio gaudet, quamdiu rem tenet, non ulterius *l. 33 d. condict. ind. S. Ex Diverso. 30. l. de R. D.* Ita e. g. qui bona fide ex sua materia in alterius fundo ædificavit, & domum ædificatam possidet, habet jus retentionis & exceptione doli mali removet dominum soli vindicantem ædes, nec præstantem impensas in ædificationem factas *d. S. 30. l. 7. S. 12. ff. d. A. R. D.* Quod si amiserit possessionem, adeo jure suo cadit, ut nulla omnino actione secundum legem strictam impensas suas repetere valeat *l. 33. d. condict. ind. l. 14 ff. d. except. dol. mal. l. 48. d. R. V.* Alia exempla *vid. ap. Cujac. lib. 18. Obs. 10.*

IV. Definitiones Juris utriusque tam in Re, quam ad Rem tolero, licet inficias non eam minime illas esse accuratas, & vix Autoribus suis, Dd. inquam moralistis, dignas, altera enim fere tantum ab effectu petita, altera vero negativa est: Ideoque facile præferri meretur definitio juris ad Rem, quam suggerit *Dñ. Thabor in partit. Element. part. 3. sect. 3. th. 3. ibi:* Est jus circa rem, quo alius nobis adstringitur ad
aliquid

DE JURE IN RE

aliquid dandum faciendum vel præstandum. Unde etiam facile liquet, jus ad Rem nihil aliud esse atque obligationem, quam bene definit *Imp. in pr. J. d. Obl.* quod sit juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura. Dicitur Ius ad Rem, quoniam per eam concivis noster obstrictus est nobis ad rem (in latissima significatione, ut & factum comprehendat,) solvendam, (i. e. præstandam, quo & dare & facere comprehenditur). Cum autem obligatio afficiat quidem personas non tamen quatenus personæ sunt, sed quatenus unus debitor est alter creditor, debitor v. dicatur respectu rei, quæ debetur, nec finis hic sit ultimus obligationis, ut personam nobis obligatam habeamus, sed ut rem deductam in obligationem consequamur *d. l. 3 d. O. & A. l. 38. S. 17. d. V. O.* merito cavendum est à Vultejo, Ant. Matthæi & horum sequacibus, qui ad jus personarum obligationes referunt. Non acquirimus in persona jus extra statum *l. f. ff. d. cap. min. tt. J. d. jur. pers.*

V. Quintuplex Ius in Re actionis realis productivum omnino nego, & affirmari salvis principiis nostris non posse in sequentibus ostendam, nam & ea fini totam hanc descriptionem suscepi, neque indignum meo instituto laborem moliri videor, quandoquidem præsens hoc argumentum intelligi, nisi tota legitima scientia intellecta, vix solide potest. Veniam autem mihi dari volo, si & è multorum opinione, & maxime thesibus Dn. Hahnii frequentius discessum fecero, neque enim ideo Vir celeberrimus mihi nominabitur, quod insultare ipsi cupiam, sed quod multi quidem, tam veterum quam recentiorum, sparsim, nemo vero præter ipsum, quantum sciam, præsentem articulum ex professo, ut loquimur, tractandum sumpserit, itemque quod fermè solus confirmando isti quintuplici juri allegari soleat. Et est hæc libertas Academica, ut possis dicere, quæ sentias, modo cum ratione sentias; Nam in cathedra quidem albis dentibus ridemus Raphaelem Fulgosium, Antecessorem Patavinum *in l. si in solutum 6. C. d. O. & A. & l. ad officium 3. C. Communi divid.* Ubi postquam retulisset dictum Cyni, quod sicut olim Idola pro Diis, ita nunc Glossatores pro Evangelistis adorentur, subiicit volo potius pro me Glossatorem, quam textum, nam si allego textum, dicent Advocati diversæ partis & etiam Iudices, credis tu, quod Glossa non ita viderit istum textum sicut tu?

VI. Ut itaque ad ipsum institutum accedam, existimo, unicum

ACTIONES REALES PRODUCENTE.

esse jus illud, ex quo habemus reales actiones omnes, solum inquam DOMINIUM. Quod ut demonstratum dem, primo thesin meam probabo, tum deinde ex hoc censu removebo servitutem, pignus, hereditatem & possessionem.

CAPUT SECUNDUM.

An actio Realis sit an personalis dependet à causa efficiente proxima non obiecto. Omnes actiones personales veniunt ex obligatione. Omnes actiones Reales veniunt ex dominio. Quod probatur LL. rationibus & inductione.

I.

Utrum actio realis sit, an personalis, ex causa efficiente proxima æstimandum est, non aut ab obiecto, aut à forma, ut multis visum fuit. Nec enim actio in rem dicitur, quasi ea res petatur, nec actio in personam, quasi persona petatur, sed una omnium actionum materia est res, quæ petitur, seu in personam agatur, seu in rem, adeoque si denominandi ratio sumeretur ab obiecto, facile exinde conficere posses, omnes actiones esse reales. Contingit aliquando ut servus petatur, sed non petitur ut persona, verum ut res cæteræ, quæ nostræ sunt, vel nobis debentur. Idem est, si filium petamus, nam non petimus quatenus persona est, sed potius quatenus jus aliquod nobis in eum competit.

II. Causam efficientem proximam actionum nativarum omnium geminam saltem norunt leges nostræ, dominiû & obligationem, ex eo reales veniunt, ex hac personales. De personalibus res minus dubia est, & mihi hac vice, ut alterum saltem probem, incumbit. Pono ergo fundamentum assertionis meæ (I.) in l. 25. pr. ff. d. O. & A. ubi Ictus, cum generaliter actiones in reales & personales distinxisset, subiicit, *in rem actio est, per quam rem nostram, que ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui rem possidet.* Quibus verbis aperte indigitatur actionem realem omnem descendere ex jure eo, quo res nostra est, nec fontem esse alium. Definire enim hoc loco generaliter voluit Ictus actiones reales. & igitur omnium causam efficientem dixit. Ius autem illud, quo res nostra est, nullum est aliud, quam dominiû l. 139. S. 1. ff. d. R. Iur. l. 11. ff. eod. adeo quidem, ut ea demum olim nostra dicerentur, quæ pleno jure Quiritiû tenebantur, vid. Calv. in voce Nostra. Et sic consequenter docuit Ictus fundamentum à parte Actoris actionum realium omnium esse dominiû, sicut ex parte Rei necessario præsupponenda est possessio.

III.

DE JURE IN RE

III. (2.) Thesin meam firmat *l. 23. pr. ff. d. R. V.* ubi Paulus: *In rem actio competit ei, qui aut Iure Gentium aut Iure Civili dominium acquisivit*, atque sic juxta hunc textum nemo actione reali potest experiri, nisi qui dominus rei sit, quam petiturus est, nec potuit Paulus clarius dicere, solum dominium actionum realium esse causam. Forte autem illa *l. 23.* est particularis ad solam rei vindicationem pertinens, cum rei vindicatio sæpenumero per excellentiam actio in rem dici soleat? Concedo ita sæpius vocari rei vindicationem, sed in *lib. 21. ad Edict.* unde Lex ista desumpta est, egit Paulus generaliter de actione reali Particulari, vid. Cuiac. in recitat. ad *Lib. 21. Edict. Paul.* generaliter ergo, cum generalibus verbis utatur, erit intelligendus, *l. 8. ff. de Publ. in rem act. & ibi Dd.*

IV. (3.) Adstipulatur mihi *§. 1. I. d. action.* ubi docet Iustinianus duplices esse actiones, vel reales, vel personales, & personales venire ex obligatione, reales vero institui ab eo, qui rem suam petat, nec ullam actionem esse realem, nisi qua suum petatur. Iam vero discretis verbis traditur in *l. 27. §. argento & l. 34. ff. d. aur. & arg. leg.* verbo suum regulariter dominium significari, & ea tantum, quæ vindicari à nobis possunt, non quæ in nominibus sunt: Nec posse creditorem rem suam dicere, in qua ipsi hypothecæ jus constitutum est, nec usufructuarium rem usufructuariam testatur, *l. 71. l. 72. l. 73. ff. de legat. 3.* in quos textus egregie offendunt illi, qui, cum videant expressè nimis dici in legibus actionem realem saltem concedi propter rem nostram, & illum demum eadem experiri, qui rem suam petere potest, ajunt rem aliquam etiam propriè dici nostram, vel ratione servitutis, vel ratione pignoris, vel ratione possessionis. Mens ergo Iustiniani etiam in hoc *§. 1.* fuit, quod sicut actio personalis non aliunde quam ex obligatione, sic actio realis veniat unice ex dominio.

V. (4.) Huc facit *l. 14. §. 3. ff. d. except. rei jud. ibi: Si quis interdicto egerit de possessione, postea in rem agens non repellitur per exceptionem, quoniam in interdicto possessio in actione proprietatis vertitur.* Uti que etiam hoc loco non obscure innuitur, omnem actionem realem esse ex dominio, dicit enim expressè Ictus in omni actione in rem proprietatem verti, proprietatis autem est formalis ratio domini *l. 7. C. de quest. l. 69. l. 70. §. 1. ff. d. usufr. l. 13. ff. d. A. R. D. l. 52. §. 10. ff. pro soc.*

VI.

ACTIONES REALES PRODUCENTE.

VI. (5.) Per inductionem potest probari actiones reales omnes venire ex dominio. Dominium enim vel rerum corporalium est, vel incorporalium *vid. infr. c. 3. th. 2.* & utrumque vel verum vel præsumptum. Ex dominio vero rerum corporalium venit rei vindicatio *tt. ff. d. R. V. dominium rerum incorporalium est vel universale, vel particulare*; Ex universali competit hereditatis petitio tam ex jure civili quam Prætorio, tam directa, quam fideicommissaria; Jure civili, competens hereditatis petitio directa est vel simplex, vel qualificata; Qualificata, qua non tantum heredes nos declarari petimus, sed insimul testamentum tanquam inofficiosum incusamus, *tt. ff. d. inoff. test.* Simplex, qua simpliciter jus hereditarium vindicamus, vel totum, *tit. ff. d. hered. pet.* vel partem ejus, *tit. ff. si pars hered. pet.* De petitione hereditatis ex jure prætorio, est *Tit. de possess. hered. petit.* De obliqua *tit. de fidei commiss. hered. pet.* Ex dominio rerum incorporalium particulari venit (1.) actio confessoria, qua servitutem (2.) Actio negatoria, qua libertatem petimus (3.) Actio vectigalis, qua Emphyteuta jus emphyteuticarium vindicat (4.) Actio serviana & quasi Serviana, qua jus pignoratitium persequimur *vid. infra cap. 5. n. 1.* (5.) Actio præjudicialis, qua dominus jus in servum, servus jura libertatis, Pater jus Patris in filium, Filius jura filiorum, Patronus jus in libertum vindicat §. 14. *I. d. act. l. 1. §. 1. d. R. V. l. 14. ff. d. probat.* & eleganter *l. 19. C. d. liber. caus. l. 3. in pr. l. 32. ff. eod.* (6.) Actio Prætoria, qua superficiarius suum jus à quolibet alio possidente, etiam ipso domino soli, vindicat *l. 1. §. 3. 4. 6. ff. d. superfic.* Dominium præsumptum voco illud, quod aut nondum est, aut fuit quidem, sed jure stricto iterum amissum apprehenditur; Ex hoc venit actio rescissoria §. 7. *I. de action. ubi male fingitur judicium rescindens & rescissorium.* Ex illo actio Publiciana, quæ competit bon. fid. possessori ad rem bona fide possessam sed ante completa tempora usucapionis amissam, vindicandam *tt. ff. de Publ. in rem action. §. 4. I. d. action.* in quo ineptiunt, qui à jure mendacium juberi docent.

CAPUT TERTIUM.

Servitus non est Ius in re actionis in rem productivum. Actio confessoria est ex dominio. Datur dominium proprium rerum incorporalium. Respondetur objectionibus Hahnij.

I. Post

Postquam capite superiori adstruxi dominium solum esse, ex quo actiones reales veniant, oportet ut removeam hinc jura reliqua, quæ affert D. Hahnus, Servitutem, possessionem, pignus, & hereditatem. Servitutem non esse ius in re, de quo hoc loco sermo est, nullamque adeo producere actionem realem, constat exinde, quod pro ea ipse a vindicanda competat actio in rem confessoria, atque adeo servitus sit illud, quod actione reali persequimur *l. 9. ff. d. nov. op. nun. I. tit. si serv. vind. & tit. si usufr. pet.* Iam vero absurdum est, idem esse & causam efficientem proximam actionis alicuius, & insimul obiectum illius. Quis unquam dixerit, hunc librum, fundum, equum meum, quem peto rei vindicatione, esse causam efficientem proximam rei vindicationis, nonne aliud est præter rem, quod mihi præstat actionem? Est utique, nempe dominium, quod in fundo, equo, libro &c. habeo; neque enim vindico rem ex hoc, quod res sit, sed quod mea sit. Eadem est ratio servitutum: Sicut ergo rem corporalem petimus propter ius, quod in ea habemus, nempe dominium; Ita in re incorporali hæc duo etiam distincta esse oportet, servitus quæ petitur, & ius aliquod cuius vi servitus petitur, seu quod actionem confessoriam causatur.

II. Quæris quale illud ius sit? Dominium est, nam & hoc in rebus incorporalibus, & quidem verum exerceri, plane cum legibus convenit, gratis dissentiente, & nescio cuius absurditatis eos, qui hoc defendunt, arguente Hahnio *de iure rer. th. 13.* Textus manifesti sunt in *l. 3. ff. si usufr. pet. ibi: Est enim absurdum, plus iuris habere eos, qui possessionem tantum usufructus, non etiam dominium adepti sunt, item in l. 15. §. 8. quod vi aut clam ibi: etiam domini ratio habenda est, ut puta si propter hoc opus, quod factum est servitutes amittantur aut usufructus intereat* *it. in l. 8. in pr. ff. d. bon. auth. iud. poss. l. 19. ff. eod. Nov. 2. cap. 4. vers. sed & diligentiam & Nov. 2.2. cap. 45. vers. sed diligentia.*

III Sed instat D. Hahnus *th. 20.* imo servitutem nominatim à legibus ius in re vocari ut *in l. 30 ff. d. nox. action. ibi: sive aliquod in ea re jus habeant, qualis est creditor & fructuarius* *it. in l. 13. §. 1. & l. 19. pr. ff. d. damn. infect. l. 2. §. 29. ff. d. vi bon. rapt.* Largior servitutem esse jus, largior etiam hoc jus esse & sustineri in aliqua re, tanquam in subjecto, ut reliqua accidentia omnia, tam physica, quam moralia, sed nego esse jus producens actionem realem: Hoc erat probandum.

Q

dum.

ACTIONES REALES PRODUCENTE.

dum. Docet ipse Hahnus in *th. 6 & 7.* jus in re esse duplex, aliud producens actionem, aliud non producens, & ob id non inferendum statim erat, ius in re est, ergo etiam producit actionem in rem. Nam si hoc procedit, facile hoc agam, ut non quinque, sed quinquies quinque, & plura etiam sint hujusmodi iura; est enim superficies in *l. 19. §. 1. de damn. infect.* est feudum, Emphyteusis, ius retentionis, sunt alia.

CAPUT QUARTVM.

Possessio omnino non est jus. Probatur hoc rationibus & textibus. Respondetur dissentientibus. In Constituto possessorio non est traditio aut occupatio ficta. Interdicta non veniunt immediate ex possessione. Omnes actiones pro interdictis competentes sunt personales. Omnes enim ex obligatione sunt.

I.

Tantum de servitute, refert secundo loco ad jura in re, quæ pariunt actionem realem D. Hahnus possessionem *th. 31. 57.* Hanc plane jus esse nego, nego etiam quod producat actiones reales. Quod ius non sit possessio, facile liquet, si primo essentiam ejus penitus inspicias. Est enim nihil aliud, quam detentio cum affectione sibi habendi, ministerio animi vel corporis exercita *v. l. 1. in pr. ff. de A. P.* Et sic consistit ejus essentia & substantia in actu tenentis, in quantum tenet, licet non requiratur semper actus, quem secundum appellant, quando corpore rem mobilem complectimur, immobili insistimus, incorporali utimur actu ipso, sed sufficiat etiam primus, quando rem semel corporaliter comprehensam a. mo tenemus, ut, quando cunque volumus, liceat actualis & corporalis apprehensio *l. 3. §. 8. 13. de acquir. poss. l. 25. §. 2. eod. l. 48 §. 1. de A. R. D. l. 1. §. 15. Si is qui testam. ubi facti & animi possessio non opponantur ratione specierum, sed ratione modi, ut scilicet facti ea intelligatur, qua quis corpore ipso rei insistit, animi vero, quæ animo exercetur.*

II. Deinde certum est reversum ab hostibus jure possliminii omnia recipere, quæ juris sunt *§. 5. l. quib. mod. ius. pat. l. 5. §. 1. ff. de capt. & postl. rev. vs.* Ast idem tamen non recuperat possessionem *l. 19. Ex quib. caus. mar. l. in bello 12. §. 2. ff. de capt. & postl. rev.* qui textus, ut & alii plures, loquuntur in terminis, ubi possessio iam est acquisita, quod facit
ad

DE JURE IN RE

ad subvertendum effugium Dd. quo distinguunt inter possessionem, quatenus est in fieri & quatenus est in esse deducta, illamque facti, hanc juris asserunt; Quasi vero ulla possessio possit ostendi, quæ sit in fieri vid. Alciat. ad l. 115. de V. S.

III. Ulterius omnia quæ juris sunt transmissibilia ipso jure transeunt in heredes, maxime suos l. 34. de V. S. l. 37. ff. de acq. hered. l. 9. §. 12. de hered. instir. l. 129. de R. Jur. l. 11. & ibi Dd. ff. de lib. & posth. Possessio vero non nisi prævia corporali apprehensione tam ad suum quam ad extraneum heredem pervenit l. cum heredes. 23. in pr. l. 30. §. 5. ff. de acq. poss. Idque in tantum verum est, ut, si quidem veritatem theoreticam spectes, ne statuto quidem transitio possessionis, quæ fiat ipso jure, introduci possit, cum in genere suo impossibile lex vel statutum fingere nequeat §. minorem 4. l. de adopt. l. 2. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. l. 4. ff. de off. Ass. & l. sed addes. 19. §. f. ff. locati ubi Bartolus & Gottofred. parens l. 16. ff. de adopt. l. 14. ff. locati ubi iterum Bartol. & Gottofred. l. 3. §. 6. ff. de acqu. poss. Usum tamen fori nostri hodie aliud sequi attestatur incomparabilis noster B. Carpzov. dec. 225. idemque de tribunalibus Gallix asserit Tiraquellus tr. Le mort saisi Le vis par. 1. decl. 6. Licet Gallus ipse Jac. Cuiac. in recit. ad Paul. Edict. lib. 12. in l. 30. ff. ex quib. caus. mai. usum istum forensem patriæ suæ damnet, tanquam imperite ex non satis intellecta d. l. 30. sumptum & natum.

IV. Denique in essentia possessionis non interest, iuste an iniuste quis possideat l. 3. §. 5. ff. de A. P. Ast multum interesset, si iuris esset possessio, cum ad ea, quæ juris sunt, prædicatum iniusti nequaquam pertineat v. l. 15. ff. de cond. inst. Et non est, cur multis rationibus possessionem facti esse adstruam, loquuntur id textus disertis & plane rotundi in l. 1. §. 4. in l. 29. ff. de A. P. in l. 12. §. 4. de capt. & postl. rev. l. 19. ff. ex quib. caus. mai.

V. Dictis hactenus quædam opponuntur, quibus breviter satisfaciendum (1.) Inquiunt, quæ facti sunt facientis personam non egrediuntur, sed possessio personam possidentis egreditur, quia domino per servum acquiritur. Resp. Confunditur acquisitio & effectus possessionis cum eius essentia (2.) Ait non nemo possessionem ideo facti non esse, quia nudo pacto possit acquiri per l. 18. ff. de A. P. Resp. si ius esset possessio, utique eo minus nudo pacto posset acquiri propter l. 3. ff. de O. & A. At falsum est dici in legibus, nudo pacto acquiri possessionem, contrari-

ACTIONS REALES PRODUCENTE.

um asserit l. 8. ff. de A. P. qua non sola conventionē, non solo animo acquiri possessionem docetur, sed ministeriū corporis intercedere debere atque apprehensionem aliquam. Nec quicquam probat d. l. 18. in qua, quod dudum observatum est, continetur *constitutum possessorium*, sed illud non fit nudo pacto, imo nec, quæ vulgi traditio est, translatione ficta, sed intercedit realis, & maxime propria occupatio atque apprehensio possessionis vacuæ. Scilicet cum aliquis solo etiam animo possit omittere possessionem l. 3. §. 6. ff. de A. P. fit hoc loco, ut à constituyente, etiam solo animo omitta possessione, res vacua præstetur, hanc postmodum vacuum possessionem is, cui constituitur, apprehendit ministerio illius, qui constituit, nam hoc per leges nostras licet, ut apprehendamus possessionem animo nostro, corpore alieno l. 1. §. 20. l. 2. l. 34. §. 1. l. 42. §. 1. ff. de A. P. l. 1. l. 8. C. eod. l. 41. l. 47. de usucap. (3.) Urgetur l. 44. in pr ff. de A. P. l. 2. §. 38. ff. ne quid in loc. publ. l. 5. C. de liber. caus. Ubi iuris dicitur possessio; sed male accepta est ibi vox juris, cum nihil aliud, quam adstantiam juris possessioni præstitam, non autem essentiam eius notet. Sic malo, quam distinguere inter possessionem naturalem & civilem. Infima enim possessio species est, nec ut genus in species alias dividi potest.

VI. Cum itaque possessio per hæcenus tradita non sit ius, neque erit ius in re, neque ullius actionis realis causa. Imo non apparet actio ulla, quæ ex possessione nascatur. Interdicta quidem occasione possessionis & eius tuendæ ergo competunt, sed ob id non statim causa efficiens eorum debet dici possessio; nulla enim est consequentia: Hoc remedium huius vel illius tuendi gratia productum est & competit, ergo etiam hoc ipsum est causa proxima huius remedii. Do exemplum. e. c. Actio de albo corrupto proposita est jurisdictionis conservandæ gratia l. 7. ff. de Iurisd. Ast vero ob id non licet inferre, ergo Jurisdictio est causa proxima actionis de albo corrupto. It: Condictio furtiva furti cohibendi gratia data est §. sic itaque 14. l. de act. et tt. ff. de cond. furt. Sed illius tamen causa proxima non est crimen furti; ita etiam interdicta seu potius extra ordinariæ in factum actiones, quæ hodie pro interdictis competunt Rub ff. de interd. possessionis gratia conceduntur à Prætorē, sed ob id causa proxima non venditari potest possessio, sed est ea obligatio aliqua intermedia, vel ex contractu descendens, vel ex delicto; Ex quo etiam fit, quod omnes istæ actiones, pro interdictis competentes, sint personales. VII.

DE JURE IN RE

VII. Probatur illud (1.) ex l. 1. §. 3. ff. d. interd. qui textus recte ita contra dissentientes accipitur (2.) Omnes actiones in factum sunt personales l. 1. 2. 3. 5. ff. d. prasc. verb. l. 25. §. 1. ff. d. O. & A. §. ult. l. ad l. Aquil. vid. Bacch. tr. d. act. Disp. 4. th. 24. & Joh. Jac. Wiefenb. in Vindic. th. de mut. p. m. 45. quod & nominis ratio facile evincit, nam in factum ideo dicitur, quod in ipsum factum, hoc est, in rem gestam l. 2. & 3. d. prasc. verb. concipiuntur: jam vero actiones pro interdictis competentes in factum sunt l. 1. §. 2. ff. ne vis fiat ei & c. Imo (3.) videntur interdicta & actiones reales omnino sibi opponi in l. 14. in fin. ff. d. excep. rei iud. (4.) Actiones ex obligatione venientes non possunt non esse personales l. 25. pr. ff. d. O. & A. Ast vero hæ actiones omnes sunt ex obligatione, id quod facile in interdictis omnibus ostendi posset, nisi de plerisque ipsi contrarium sentientes idem statuerent. Afferam ergo saltem ea, quæ ab illis in dubium vocantur. Atque eo pertinet (1.) Interdictum Quorum Bonorum (seu actio pro eo competens, nam hanc semper, nominans interdictum, intelleturus sum) sed non difficile est ostendere hoc personale esse & ex obligatione descendere; competit enim ex quasi ademptione possessionis, ut recte Donellus lib. 15. commen. 36. adipiscenda possessio hoc loco pro nostra habetur, eoque ipso videtur adimi, quod non præstatur; cum & nondum quæsitam ius nostram esse velit, ac quæsitam esset, unde etiam iubetur restitui quasi adempta l. 1. ff. quor. bon. & dicitur hoc interdictum restitutorium non secus atque interdictum unde vi §. 1. l. d. interd. l. 1. ff. quod vi aut clam l. 2. ff. de precar: Ast ita forte omnis actio realis personalis effici possit? nego: fingitur hic actionem conceptio illa vetus verborum præcessisse eique nullam sequelam præstitisse reum, adeoque iam ex contumacia & aliquo delicto teneri supponitur. Nam Jure veteri præcedebat Interdictum, sique ei reus non paruisset, sequebatur actio: Hodie abbreviandæ litis ergo, fingitur antecessisse illud interdictum, quod revera non intercessit, & statim datur actio. Sic intelligi debet pr. & §. fin. l. de interd. De interdicto Quod legatorum licet etiam quidam ambigant, res tamen multo planior est, quando quidem dubio procul causa eius proxima est illicite apprehensio legati l. 2. §. 2. quod legat.

IX. Deinde in censum actionum realium refert D. Hahnus th. 60. n. 5. & huius loci propria esse ait Interdicta Retinendæ seu conservandæ possessionis, ea enim dari vigore possessionis ut iuris in re adhuc duran-

ACTIONES REALES PRODUCENTE.

durantis: sed valde vereor, ne, si hoc admittatur, graviter offendamus. Norunt quippe dupondii ex §. 1. & 2. l. de act. actiones reales dari eis, qui non tenent rem petitam, contra illos, qui tenent, ad hoc, ut reddant, restituant: In interdictis vero retinendæ possessionis actores utique tenent possessionem, nec præstari sibi eam, nisi absurde, ab alio petunt, sed saltem hoc volunt, ut, qui hactenus turbas fecit, in posterum desistat: Ideoque in his omnibus causa proxima est turbatio, & factum aliquod illicitum adversarii, seu, ut accuratius loquar, obligatio ex turbatione & facto illicito nata, & propterea sic colligo: Quacunque actione non moveo alteri controversiam de re aliqua, sed ago cum illo, qui mihi obligatus est, ea non realis est, sed personalis: Atqui in interdictis retinendæ &c. Ergo, Maior est in §. omnium & §. æquè Inst. de Action. l. l. 25. de O. & A. Minorem probatam dabo eundo per singula interdicta retinendæ.

IX. Primum est interdictum Uti possideris. Datur hoc ei, qui possidet rem immobilem vel incorporalem, quæ pro re soli habetur. l. 1. in pr. §. 1. §. 6. §. l. f. ff. uti poss. l. 8. §. Arist. ff. si servit. vind. Contra eum, qui controversiam possessionis facit l. 3. §. 2. ff. uti possid. possidenti vim inferendo, aut ipsum in possessionis usu impediendo d. l. 3. §. 2. & 3. l. l. 11. ff. de V. & vi arm. ad hoc, ut turbans à turbatione desistat l. 1. §. 4. ff. uti poss. & damna, illudque, quod interest, turbationem non factam esse, præstet l. 3. §. ult. ff. uti poss. Ex quibus omnibus facile liquet, causam proximam hujus interdicti esse obligationem, natam ex turbatione, & consequenter inter actiones non reales, sed personales referri debere. Simili ratione causa proxima interdicti de superficiebus obligatio ex turbatione est, ut in quo omnia, quæ in superiori, veniunt attendenda. l. 1. §. 2. de superfic. & ob id in eo quoque non movetur de re aliqua controversia, sed agitur cum eo, qui obligatus est, neque minus ergo, quam antea referri debet ad actiones personales. Interdictum utrobi ejusdem naturæ est cum interdicto uti possideris, nisi quod tueatur illud possessionem immobilium, hoc mobilium l. un. §. 1. ff. utrobi §. 4. l. de interdict. Interdicta de itinere actuque privato, de aqua quotidiana & æstiva, de rivis, & de fonte, omnia descendunt ex obligatione turbantis in possessione, & ubique agitur cum eo, qui tenetur ex delicto l. 1. in pr. §. 25. & 27. ff. de aq. quot. d. l. 3. §. 4. ff. de riv. l. 1. in pr. ff. de font. l. 1. §. 7. l. 3. §. 4. ff. de itin. actuque priv. indeque indubie sunt inter actiones personales.

DE JURE IN RE

sonales numeranda. Obiter addo: Communis est doctrina, esse circa Interdictum nri possidetis differentiam Juris Civilis & Canonici, quod nim. sec. jus civile qui uti velit hoc Interdicto probare debeat, seurbationis & litis contestatae tempore possedisse, secundum Jus Canon. autem sufficiat, probari possessionem antiquiorem. Hæc oppositio si ita accipiatur, quasi qui antiquiorem possessionem probat, non debeat possedisse tempore litis contestatae, dubio procul falsa est: Nam *cap. 9. extr. de Probat.* (illud enim pro fundamento ponitur) hoc saltem dicit, quod, si ab utraque parte possint probari actus possessorii, ita ut difficile sit Judici quem possessorem dicere debeat, æquum sit pro eo pronunciare, qui de diuturniore tempore fidem fecit.

CAPUT QUINTUM.

Pignus non producit actionem realem, sed vindicatur actione reali. Actio Hypothecaria est ex dominio. Contractus & translatio dominij bene concurrere possunt. Singulare de pignore fiduciae traditur. Confunduntur rationes Hahnij. Jus pignoratitium semper est ex traditione aliqua.

I.

Tertio à D. Hahnio refertur ad jura in re actionum realium productiva, pignus *ib. 19. & 29.* Sed hoc iterum nego. Rationes quibus moveor, eadem sunt, quas supra, cum de servitute agerem attuli: certe enim etiam pignus, i. e. jus pignoratitium, non est causa proxima actionis hypothecariae aut Servianæ, sed potius objectum, seu res, quæ actione ista vindicatur & petitur, *l. f. pr. ff. de pign. act.* Quamquam enim videatur creditor hypothecaria experiens petere rem ipsam, fit tamen hoc saltem per consequentiam, & quatenus nim. Jus suum salvum, aut commodum ejus habere nequit, nisi habeat rem ipsam, primariè vero hypothecaria vindicat jus pignoratitium, per consequentiam de mùm rem ipsam. Quo posito hujus actionis quærenda causa proxima alia est, quam dico etiam esse dominium aliquod rei incorporalis, seu juris, juris inquam pignoratitii. Dicitur enim hæc actio species esse vindicationis *l. 16. §. 3. ff. de pign. l. f. in pr. de pign. act.* Cuius autem vindicatio præsupponit aliquod dominium, & est ex dominio *l. 25. ff. de C. & A. quod hoc*

ACTIONS REALES PRODUCENTE.

hoc loco non potest esse aliud, nisi hujus juris, siquidem res ipsa, in qua pignus constituitur, manet debitoris *l. 9. C. de pign. action. facit huc, quod Dominus debitor rem pignoratam intervertendo furtum committere dicatur, actioneque creditori teneatur, non tantum, cum creditor possidet, sed & cum alius §. aliquando 10. I. de furt. l. 12. §. 2. l. in actione 19. §. 5. l. 79. l. 87. ff. eod.* Imo jure veteri in pignore fiducia, de quo Paulus *lib. 2. sent. tit. 13. & ibi Cujac.* non tam dominium ipsius rei, quam juris, solenniter constitutum fuisse mihi videtur, licet communiter dissentiant.

II. Opponit iterum D. Hahnus pignus in legibus dici jus in re, imo adesse effectus juris in re, actiones reales ex pignore venientes, actionem puta Hypothecariam & Paulianam. Quantum ad primam attinet, facile admitto in *l. 30. ff. de nox. action. in l. 19. in pr. de damn. in l. pr. eod.* & alibi dici creditorem habere jus in re pignorata, sed exinde tamen nondum inferre licet, ergo etiam illud jus valet ad producendam actionem, vid. supra *cap. 3. num. 3.* Quantum ad alteram, & actiones scilicet reales, probavi jam actionem hypothecariam aliunde, quam ex jure pignoratitio venire; Actio autem Pauliana, quam ex pignore Prætorio descendere ait, neque ex pignore est, neque ex quocunque alio jure in re, sed extraordinaria, tam de rebus quam personalibus participans, utputa, quod bene docuerunt Ultramontani, magis dativa, quam nativa, formata à Prætoribus, pro æquitas utilitasque suasit, ut ne nimis faveret creditoribus, & possessoribus injuriam faceret, nec nimis etiam creditores gravari permetteret. Ab actionibus realibus habet hoc, quod detur etiam contra tertium possessorem, in quo obligatio nulla est *l. 6. §. 11. ff. de his que in fraud. cred.* It: quod dicatur petitio, in *§. 7. I. de actio. &c.* A personalibus, quod cum iis quoad fructuum præstationem comparetur *l. 38. in pr. & §. 4. ff. de usur.* It: quod dicatur actio in factum *l. 10. l. 14. ff. de his que in fraud. cred. l. pen. C. eod.* Minime autem D. Hahnus ex *l. f. C. de Prætor. pignor.* rectè probare intendit actionem Paulianam esse ex pignore, nam ista lex non agit de actione Pauliana, sed utili hypothecaria, & multo antiquior est actio Pauliana, quam quod data dici possit in ista lege fin. quæ Justiniani est.

ACTIONES REALES PRODUCENTE,

III. Illud quæri adhuc hoc loco debet, undenam veniat jus illud pignoratium reale? Et quidem si contractus pignoris realis, qui ad sui perfectionem rei dationem exigit *tt. 7. quib. mod. re contr. obl. intercesserit*, facile causa constitutiva potest ostendi; Nam res ibi ita traditur, ut jus in re transferatur, estque in contractu pignoris implicita & innexa causa & modus transferendi dominii, non quidem ipsius rei oppignoratæ, ne contradicat *l. 9. C. d. pign. act.* sed juris pignoratii: licet nihilominus natura sua maneat distincta, & contractus pignoris causa sit seu titulus, traditio vero, per quam fit hic contractus, transferat jus in re. Simile exemplum est in mutuo *vid. l. 2. §. 2. d. reb. cred. §. 2. J. quib. alien. lic. vel non. pr. & §. 2. J. quib. mod. re contr. obl. l. 36. ff. d. A. R. D. l. 16. d. reb. cred.* Ex quo apparet falli Bachov. ad Treutlerum vol. 1. Diss. 30. th. 4. lit. A. & ad Wesenb. de permutat. n. 1. cum permutationem contra *§. 2. J. d. empt. & vend. l. 17. C. d. fid. instr. l. 3. & 4. C. d. permut. cap. 5. extr. cod. & cap. 6. extr. de except.* contractum negat esse ideo, quod rerum translatio sit, & modus acquirendi dominii; Nam ex jam dictis patet, contractum & translationem rerum optime concurrere posse.

IV. Sed cum hypotheca sola & nuda conventionione, aut etiam stipulatione contrahitur (quod fieri posse aperte loquitur *l. 1. in pr. d. pig. act. l. 4. ff. d. pign. l. 17. §. 2. d. pact. l. 49. vers. Quod si, ff. d. solut. ubi Martinus cum ait: Quod stipulationis nomine hypotheca erat obligata &c. hoc dicere voluit, quod hypotheca per modum stipulationis fuerit constituta) res expedita adeo non est; Certe enim conventio nuda & pactum nudum nihil aliud operari potest atq; obligationem, & eam nondum satis firmam *l. 1. l. 6. ff. d. pact. aut fac esse pactum hoc nudum* (nam omnia confirmata etiam & legitima pacta nuda sunt) edicto Prætoris confirmatum, nihil inde efficies aliud, quam hoc, quod efficax nunc adsit obligatio *d. l. 6.* Verum hujus quidem substantia in eo consistit, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, non vero, ut aut corpus*

R

pus,

DE IURE IN RE

pus, aut jus nostrum faciat, l. 3. ff. d. O. & A. Viderunt hunc no-
dum multi, solvit nemo. Dicam quod sentio. Subest in con-
stitutione hypothecæ, sive per pactum nudum, sive per stipu-
lationem facta, aliqua traditio, non vera quidem ista, sed præ-
sumpta, quam Prætor semper intercessisse supponit, ut adeo hoc
ipsum jus reale non ex conventionem nascatur, nec enim potest
d. l. 3. d. O. & A. sed ex traditione ista præsumpta. Nec infre-
quens est in legibus nostris, ut ex actu præsumto detur alicui jus
aut actio. Sic mulieri ad repetendam dotem data est actio
ex stipulatu in l. un. §. 3. & seqq. C. d. rei ux. act. §. 29. J. d. act. Li-
cet nunquam dotem sibi reddi stipulata fuerit. It: in omni-
bus quasi contractibus (ita enim recte loquimur contra Vulte-
jum) nascitur actio & obligatio ex consensu præsumto tt. J. d.
obl. que qs. ex contr. Pertinent huc traditiones fictæ per bre-
vem manum l. 43. §. 1. j. §. 43. 44. J. d. Rer. div. & per longam
manum l. 79. d. solut: Et quidni queant tale quid fingere leges,
cum homini proprio motu sine ulio ejus facto jus aliquod
constituere possint tt. ff. in quib. caus. pig. vel hypot. tac. contr. §. 296
It. d. Act.

CAPVT SEXTVM

*Hereditas etiam non est Jus in re, quod producit actionem in
rem. Hereditatis petitio est ex dominio. Respon-
detur Hahnio.*

I.

Accedo ultimo loco ad hereditatem, quam quarto post
dominium, tanquam jus actionem realem producens,
refert D. Hahnio *ib. 64.* ex jure enim hereditario na-
sci dicit hereditatis petitionem. Verum nec hoc per-
suaderi potui. Adverti quippe iterum illud ipsum jus heredita-
rium esse objectum, non causam efficientem hereditatis petiti-
onis

ACTIONIS REALES PRODUCENTE.

nis l. 3 l. 10. §. 1. ff. d. hered. pet. l. 1. ff. si pars. hered. pet. Neque enim in petitione hereditatis respicimus tam ipsam rem hereditariam, quam jus illud universale; & hinc est quod hæc actio detur tantum contra eos, qui pro herede vel pro possessore possident l. 9. l. 10. ff. d. hered. pet. & quidem licet rem minimam possideant l. 10. pr. ff. d. r. ideo nempe, quia ejusmodi possessores, quamvis rem minimam teneant corpore animo tamen totam hereditatem sibi tribuunt, jurisq; universi, non rei istius, se contendunt possessores. Contra vero non recte convenitur hac actione, qui rem, licet hereditariam, titulo tamen singulari vel vero vel saltem prætenso, jure tamen valido, sive bona sive mala fide possidet l. 2 l. 7. C. d. hered. pet. l. pen. C. in quib. causis cess. long. temp. præsc. l. 23. §. 7. l. 45. ff. fam. herisc. Imo etiam cum Gomefio tentari possit dari hæc actionem contra eum, qui rem quidem hereditariam nullam tenet, sed heredem tamen se jactat & jus hereditarium sibi tribuit, ad hunc scil. effectum, ut actor heres declaretur, ad eumque jus hereditarium pertinere dicatur, non tam per l. 9. & l. 18 §. 1. d. hered. pet. quos textus Gomefius allegat quam per l. 50 & l. 13 §. 13. ff. d. r.

II. Cum itaque ostensum sit, hoc jus hereditarium vindicari & peti hereditatis petitione, ac consequenter hereditatis petitionem ab eo non produci, opus est, ut indicemus hujus actionis causam aliam. Hanc iterum dicimus dominium juris, juris scil. hereditarii, quod ipsum ut probetur laborandum non est cum in ipsis legibus satis superque adstruatur, puta in l. 48. pr. ff. d. hered. inst. §. ult. l. d. hered. qual. & diff. l. 19 §. 3. in fin. de castr. pec. l. 11. de liber. & posth. Pertinent huc quæ notat Bacchovæ Vesemb. de hered. pet. n. 2.

III. Urget in contrarium D. Hahnus (1.) aliquot leges ut l. 5 §. 5. ff. d. his. qui effud. l. 8. C. ad exhibend. l. 6 in pr. ff. d. relig. & sumpt. fun. l. 49. mandati l. 3. C. d. reb. alien. non alien. l. 1 §. 1. pro suo l. 91. ad l. Facid. sed iis omnibus nil amplius probatur, quam dari aliquod jus hereditarium, utrum vero illud sit causa efficiens proxima alicujus actionis realis, minime ostenditur.

III. IIII

DE JURE IN RE ACTIONES REALES PRODUCENTE.

minium ibi deciditur, imo nec attingitur. (2.) Dominium rerum esse tantum singularium per *l. 1. d. R. V.* Sed præterquam quod lex ipsa *l. contradicat*, dicit enim post actiones, quæ de universitate propositæ sunt *i. e. quibus universitas vindicatur &c.* diversum facile evincunt modi acquirendi universales etiam Novo Iustinianeis noti. Et quid clarius dici poterat, quam quod habet *§. 7. J. per quas pers. cuique eoq.* ibi: videamus nunc quibus modis per universitatem res vobis acquiratur &c. quæ verba per universitatem contra Vulteiium non titulum acquirendi, sed rem, quæ acquiratur, significant. Adde quod quæ legari, donari vendiq; possunt, necessario debeant esse in dominio aliquo; At vero universitas potest & donari & legari item etiam vendi *l. 26. §. 2. ff. d. legat. 1. l. 8. C. d. revoc donat. tt. ff. & C. d. hered. vel. act. vend. l. 19. C. d. pact. & l. 30. eod.* Tandem leges supra *n. 2.* allegatæ dominium hereditatis plenissime confirmant. Illud autem contradictionem non meretur, quod censet D. Hahnus ideo non posse statui dominium hereditatis, quod datur etiam rehereditariæ. quæ tamen propriæ non sint defuncti aut heredis; Nam discernendum est ipsum jus hereditarium universale, & res hereditariæ. Eodem recidit quod affert ex *l. 50. de hered. pet.*

TANTUM.



ULB Halle
003 070 840

3




TA-OL

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

F. 22. num. 13.

~~A. 13.~~

1662, 1 b

2

BORNII 33.6.

INAUGURALIS

IN RE

REALES

CENTE

UL.

LIPSIENSI

A

662.

RIED.
RS.
LIE

